11367/B

DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA INAVGVRALIS

DE

RADICE MVNGO

QVAM

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALE SENATVS ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENT. VTIL. ASSESSORE ORDIN. FACVLT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

RITE ATQVE LEGITIME OBTINENDIS

DIE MARTII MDCCLXIX.

H. L. Q. C.

VENTILANDAM PROPONIT

GEORGIVS CAROLVS ASCHENBORN

BEROLINENSIS.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI

ACAD. REG. TYPOGR.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO

PRAENOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

ERNESTO EPHRAIMO EBERTI

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO

CIRCVLI LEBVSIENSIS ET VRBIS FRANCOFVRTANAE PHYSICO

MERITISSIMO

SERENISSIMI DVCIS WVERTENBERGICO-OELSNENSIS

CONSILIARIO

FAVTORI SVO OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

NEC NON

VIRO

NOBILISSIMO ET ARTIS SVAE PERITISSIMO

DOMINO

GEORGIO FRIDERICO ASCHENBORN

SVPREMI COLLEGII MEDICI BEROLINENSIS ASSESSORI

AC PHARMACOPOEO SPECTATISSIMO

PARENTI SVO

AD CINERES VSQVE DEVENERANDO

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

IN

PVBLICVM OBSERVANTIAE AC PIETATIS

DOCVMENTVM

CVM OMNIGENAE PROSPERITATIS VOTO

CONSECRAT

GEORGIVS CAROLVS ASCHENBORN.

DISSER-

DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA
INAVGVRALIS
DE
RADICE MVNGO.

PROOEMIVM.

Natura benigne ubivis indigentiae hominum proſpicit, et numeroſiſſima iis ac varia, tum alimenta, ad vitam ſuſtentandam neceſſaria, tum medicamenta, profligandis

penitus aut leniendis morbis idonea, e ditiſſimo peno ſuo offert, ita tamen, vt cuique telluris regioni praeter ea, quae ſingulis communia inveniuntur, peculiaria quaedam ac propria largiatur; ob eam maxime, uti ego quidem opinor, rationem, ut homines mutua colant commercia, gentesque diſſitæ, linguis, ingeniis, ac moribus diſtinctæ, conſortio hoc mutuoque auxilio, ceu vinculo quodam ſingulari, arctius conjungantur, et, ita procul dubio volente ſummo rerum omnium Moderatore, in unam quaſi familiam magnam coaleſcant. Ulterius ſane meditationem hanc protrahere, et multa hac occaſione de cibis, potulentis ac condimentis exoticis, et multa pariter, quin longe plura, de medicamentis, quibus intra aliquot ſecula fertiles Aſiæ, Africæ et Americæ regiones pharmacopolia Europæa ditarunt, proponere poſſem ac vellem, niſi ſcopus præſens obicem mihi limitesque arctiores poneret, ac memet ſaltim de *Radice Mun-*

ce Mungo, quam ſolam hac vice tractationis objectum eligere placuit, plenius diſſerere juberet. Radix hæc in Officinis pharmacevticis Europæis (ſi forſan Belgicarum nonnullas exceperis) nondum venalis proſtat, et rariſſime ideo a Medicis adverſus morbos, quibus tollendis apta exiſtit, adhibita fuit. Ratio partim ad magnam ipſius radicis caritatem, cujus una libra civilis Amſtelodami viginti plerumque imperialibus venditur, partim ad omnimodam hinc inde virtutis ac virium ignorationem, aut minus ſufficientem tamen earum notitiam revocanda videtur. Apud notiores enim Materiæ medicæ Scriptores, quorum libri in plurimis Academiis docentium ac diſcentium uſui potiſſimum inſerviunt, altum plerumque de hac radice ſilentium eſt, nec ulli proinde mirum videbitur, quod iſti Medici practici, qui eam nunquam conſpexerunt, nec audiendo etiam ac legendo certi quidquam de indole ejus, principiis activis atque virtute percepe-

runt,

runt, illam in uſum trahere, vel rectius, de uſu eius plane cogitare nequiverint. Iterata igitur dictorum conſideratio eo tandem me impulit, ut, data occaſione opportuna, pretioſum hoc ſimplex medicamentoſum examini chemico, hactenus ab omnibus, quantum mihi quidem conſtat, penitus neglecto, ſubjicere, et obſervata poſtmodum cum orbe literato communicare decernerem. Prius haud ita pridem feci; quare nunc poſterius quoque exequi, et in ſequentibus non tantum ſuſcepta experimenta chemica deſcribere, ſed iis reliqua etiam, de hoc ſubjecto ſcitu neceſſaria, adjungere lubet. Faxit Numen omnipotens, ut hæc pariter opella in proximi emolumentum cedat!

§. I.

Radix mungo vel mungos, referente indefeſſo quondam ac ſolertiſſimo rerum naturalium ſcrutatore engelberto kaempfero *a*), cui pleniorem huius Simplicis medicamentoſi deſcriptionem debemus, a muſtela quadam ſeu viverra Indica, Luſitanis in India commorantibus *Mungo*, Batavis *Muncus* et indigenis *Mungutia*, ac paſſim quoque *Quil* et *Quirpele* dicta, nomen ſuum accepit, quoniam radicem hanc monſtraſſe et uſum ejus pro alexipharmaco prima mortalibus prodidiſſe creditur. „In Zeilan inſula, „garcias *ab* orta *ſcribit b*) ſerpentis genus eſt, „Cobras de Capelo, maxime noxium. Eſt item „animalis genus magnitudine viverrae huic ſerpenti „inimiciſſimum, Quil et Quirpele vocant. Quoties„cunque cum ſerpente congreſſurum eſt hoc animal, „iſtam radicem ea parte præmordet, qua denudata „eſt. Præmorſa radice, pedibus anterioribus ſaliva „conſperſis, corpus ſibi demulcet; poſtea ſerpentem „aggreditur, nec dimittit eum, donec occiderit. Hoc „ſpectaculo edocti Chingulae hanc radicem venenis reſi-

a) In *Amoenitat. exoticis Faſc. III. p.* 574.

b) In *Hiſtoria aromatum apud Indos naſcentium Lib. I. cap.* 44.

„reſiſtere didicerunt." Vix laudatus KAEMPFERVS, qui ipſe manſuefactam hanc viverram a) contubernalem, commenſalem, fidumque ſub excurſionibus ſuis per urbem et campos comitem habuit, et pugnam quoque cum ſerpente pileato conſpexit, quamplurima quidem, a GARCIA relata, ſuo confirmat ſuffragio, viverram tamen, cum colubro dimicaturam, vel morſu interdum ſub ipſo certamine vulneratam, ſemper radicem Mungo quærere, inventamque ſcopo prophylactico, aut confortante devorare, ne

a) Muſtela ſive viverra hæc, teſte Auctore laudato, teſtibusque aliis, in omnibus propemodum Aſiæ regionibus calidis, etiam iis, in quibus Radix Mungo nunquam reperta fuit, habitat, et, hinc inde per rura curſitans, non tantum mures, glires, ac talpas venatur, ſed ſerpentes quoque, præſertim vittatos, de quibus plura in ſequentibus (§. 12.) videnda ſunt, acerrime perſequitur, victosque crebro trucidat. Facile manſueſcit, ac domi alita felis munia ſubit, hominesque, qui ipſi domicilium victumque præbent, ubivis, æque ac canicula, comitatur. Forma ſciurum quodammodo refert, eo tamen paullo maior et geſtibus tardior eſt. Pilis contegitur glaucis, in cauda longioribus, ex atro ad decorem interpunctis. Conferri etiam hic poteſt MICH. FRID. LOCHNERI Commentatio, quae Norimbergæ 1715. ſub titulo: *Mungos animalculum et radix deſcripta*, in lucem prodiit.

negat, vel ad minimum valde incertum iudicat. Haud alienum erit, relationem eius hic ipſiſſimis pariter verbis adducere: „Eſt muſtelæ huic, *l. c. ait*, „is genius, ut ſerpentem naturali odio proſequatur, „et velut glirem catus invadat. Tradunt igitur, ſi „contingat, morderi muncum, ſerpentis aſtutia ro- „boreve victum, relicto hoſte, pro alexipharmaco „hanc radicem quærere, et eſu eius illico reſtitutum, „certamen redintegrare. Sit fides rei penes indige- „nas. Hoc tantum de muſtela hac exploratum ha- „beo, morſam a vipera, vel lucta fatigatam, dimiſſo „victore, ex palaeſtra in campum excurrere, et ob- „vias depaſcere herbarum radiculas, mox paſtu, ut „opinor, refectam, rurſus comparere ad certamen, „cum hoſte, ſi adſit, redauſpicandum.“ Plura, eaque commemoratione digna, non amplius hic prænotanda invenio; hinc, relicto phyſico-hiſtorico hoc diſſertationis præſentis momento, confeſtim ad enarrandas ſubjecti noſtri proprietates externas progrediar.

§. II.

Longitudine hæc radix, craſſitie, ac forma externa valde differt, et apud colorem quoque notabile diſcrimen cernitur. Nam plurium radicum aliæ

(loquor autem hic unice de radicibus huius nominis, quæ ex India ad nos transferuntur) ſpithamam integram, aliæ duntaxat dimidiam, longæ ſunt, immo multæ, quæ ſolummodo diffractarum fruſta eſſe videntur, ſpithama dimidia adhuc breviores inveniuntur; craſſitie autem vel digitum manus medium aut minimum, vel ſaltim calamum ſcriptorium æquant: Notari tamen oportet, radices craſſiores tenuioribus præſtantiores exiſtere, adeoque ſemper, ſi licitum fuerit, eligendas eſſe. Radices craſſiores crebro varioque flexu intortæ ac paullulum in ſuperficie aſperæ atque rugoſæ, tenuiores ex adverſo plerumque rectæ, læviores, et æque pariter, ac craſſiores, ſimplices omnino, h.e., ramis lateralibus prorſus deſtitutæ ſunt *a*). Ex duplici ſubſtantia, corticali nimirum, et

a) Perilluſtris LINNAEVS in *Diſſ. de Ligno Colubrino, ſecundo Amoenitatum Acad. Voluminі* inſerta, p. 105. formam ſerpentinam ſeu curvatam inter præcipuas notas genuinæ radicis Mungo characteriſticas retulit. Non contradicam ſimpliciter, univerſale tamen hoc κριτήριον eſſe, autopſia aliter edoctus, concedere nequeo. Inter radices enim, quas ſatis magna copia ex Hollandia accepi, multæ fuerunt, eæque utplurimum tenuiores, quæ haudquaquam, uti ſupra dixi, flexuoſæ, ſed perfecte potius per totam longitudinem ſuam rectae erant, et ſingulas nihilominus proprietates externas reliquas,

et lignoſa interna conſtant: Cortex, qui propter rariorem et nonnihil fungoſam texturam ſuam friabilis eſt, ac foris colore gryſeo aut luteolo, hinc inde, præſertim in radicibus craſſioribus, magis minusve ad rufum aut ſubfuſcum vergente, gaudet, facile a compactiori, lignoſa, fragili atque candida aut ſubluteo-albicante ſubſtantia interna diſcernitur. Craſſitie admodum diſcrepat, ac circiter ab unius lineæ craſſitudine ad mediocris calami ſtraminei craſſitiem adſcendit. Nam quo craſſior radix eſt, eo craſſior etiam cortex reperitur, et vice verſa. Odore hæc radix penitus caret, ſaporem vero intenſiſſime amarum, radicis gentianæ rubræ ſapori valde æmulum, obtinet, qui in cortice tamen multo fortior, quam in medullari ſubſtantia lignoſa, deprehenditur; unde prior etiam poſteriorem medica virtute ſuperat.

§. III.

Planta, quæ ex deſcripta radice emergit, in inſulis *Ceylana*, *Iava*, *Sumatra* ac pluribus procul du-

quæ genuinæ radici competunt, nec non, confirmante ſcrutinio chemico, eadem quoque principia activa posſidebant. Suſpicor, diverſam radicum ætatem diſcriminis cauſam eſſe, et radices adultiores ſenſim demum ſenſimque incurveſcere.

bio Indiæ orientalis regionibus creſcit, et valde inprimis in Cingalenſi *Monte Adami* luxuriare dicitur. Varia illi nomina Indi indigenæ non minus, quam Scriptores botanici Europæi dederunt: Chingalenſes nimirum eam *Ekawerya a*), nec non *Naghawalli*, a Nagha angue vittato, cuius morſus folia ejus mirifice atque ſpecifice ſanant *b*), immo, teſte GRIMMIO, etiam *Rametul c*), et alii populi, ob maximam partium omnium amaritudinem, Malaice *Hampaddoe-Tánah, d*) vel *Hampaddu Tánah,* hoc eſt, *fel terræ e*), vocant; a LINNAEO autem Ophiorhiza (Mungos) foliis lanceolato-ovatis, *Spec. Plant. Edit.* 2. 213., a GARCIA *ab* ORTA Lignum colubrinum laudatiſſimum, *Hiſt. Aromat.* 163., a C. BAVHINO *Clematis* Indica, foliis perſicæ, fructu periclymeni, *Pin.* 304. et a GRIMMIO Radix ſerpentum, Ekawerya dicta, *Lab.*

a) HERMANNI *Zeyl.* 37.

b) *Ibid.* 55.

c) In *Laboratorio Zeylanico p.* 116.

d) HERBERT *de* LAGER *Epiſt.* 3. ad GEORG. EVERH. RVMPHIVM miſſa et MICH. BERNH. VALENTINI *Muſeo Muſeorum p.* 30. annexa.

e) KAEMPF. *Amoenit. p.* 578.

Lab. Zeyl. 116. appellatur. Aſſurgit, ſecundum graphicam KAEMPFERI deſcriptionem *f*), altitudine pedali et longiori, eminusque conſpecta faciem centaurii minoris exhibet. Caulis, rectus, tenuis, æqualis, raros ſaltim ramulos, alterne adverſos, emittit, quos folia ornant pari ordine diſpoſita, rariora, anguſta, figuræ lanceatæ. Ex ſurculorum axillis tenues atque decidui ſtyli in duorum vel trium digitorum transverſorum longitudinem exſurgunt, quorum ſingulis floſculi, circiter 50., plures pauciores, præparvi, in plures faſciculos digeſti, et in umbellam tantillam, quam ungue obumbres, conglobati, pulchre rubentes *g*) inſiſtunt; qui, microſcopio luſtrati, cernuntur nudi, tubulati, extremitate in quinas et ſenas lacinias diviſa. Ex umbilico floſculi areſcentis ſemen minutiſſimo pediculo protruditur, in aliis geminum, i. e., ex duobus ſeminibus ad baſes concretum, faſtigiis diva-

f) *L. c.*

g) Vix allegatus HERBERTVS *de* IAGER in *eadem Epiſtola* refert, duas hujus plantæ ſpecies, colore floris diſtinctas, alteram nempe floribus albis, alteram rubris, in India reperiri, et priorem ab incolis plerumque poſteriori ob maiorem bonitatem præferri; quæ indigenarum opinio tamen Scriptorum quorundam relationibus plane adverſatur.

divaricatis, in aliis ſimplex et unum, inæqualis rotunditatis et ex quadantenus compreſſo utcunque turbinatum, oſſeum, ſeminis coriandri magnitudine, cute veſtitum carnoſa, adnata, per ſiccitatem rugoſa, coloris promiſcue nigricantis, vel ex viridi pallentis. Kaempferianae huic deſcriptioni adhuc Perill. LINNAEI ejusdem plantæ adumbrationem, quam in *Flora Zeylanica p.* 190. et 239. exhibuit, addere placet, quoniam nonnulla continet, quae in præcedente omiſſa, vel minus diſtincte expoſita ſunt. Eſt autem ſequens: „*Caulis* ſimplex. *Folia* oppoſita, lanceolato-ovata „(*Adhatodæ*), integerrima, glabra, nervis oblique „transverſis, petiolata. *Pedunculus* terminans caulem „Corymbo ex ſpicis ſimplicibus ſive bifidis, umbel„latim digeſtis ex uno centro, et patentibus. *Flores* „ſesſiles a latere ſuperiore horizontalis ſpicæ. *Perian„thium* monophyllum, erectum, quinquedentatum, „æquale, perſiſtens. *Corolla* monopetala, infundi„buliformis: limbo quinqueſido, obtuſo, æquali, „patente, interne barbato. *Filamenta* quinque, fili„formia, tubo inſerta, longitudine corollæ. *Antheræ* „oblongæ. *Germen* bifidum, intra calycem. *Stylus* „filiformis, longitudine ſtaminum, ſuperne craſſior. „*Stigmata* duo obtuſa. *Capſula* biloba (figura fructus „Aceris), lata, obtuſiuſcula: lobis divaricatis, bilocu-

„laris

„laris: diſſepimento contrario, introrſum dehiſcens.
„*Semina* numeroſa, angulata.

§. IV.

Cum prædicto vero ſemine Mungo, quod tacitus hoc loco præterire nequeo, aliud quoddam ſemen, itidem *Semen Mungo* dictum, et a GARCIA *a*), BOECLERO *b*), LEMERIO *c*) aliisque deſcriptum, haudquaquam confundi debet. Nam, licet hoc poſterius priori quoad formam quidem atque colorem, initio vireſcentem, deinde, ſi ad perfectam videlicet maturitatem pervenerit, nigricantem, non adeo diſſimile exiſtat, loco natali tamen, natura et uſu multum ab illo differt, et alterius plane vegetabilis ſoboles eſt. Planta enim, huius ſeminis genitrix, LINNAEO in *Horto Cliff. p.* 409. Phaſeolus caule recto, anguloſo, hiſpido, BOERHAAVIO autem *Lugdb. II. p.* 28. Phaſeolus orthocaulis, Mungo perſarum, turcarum Maſc, hiſpanorum Max. *Hern. mex.* 887. audit *d*), et

C

a) *Hiſt. aromat. Lib. II. cap.* 21.

b) In *Cynoſura Materiæ med. cont. T. III. p.* 308.

c) In *Lexico Medicamentorum ſimplicium.* Edit. Germ. *p.* 750.

d) Plura Synonyma in IO. FREDERICI GRONOVII *Flora orientali p.* 88. videri poſſunt.

et in *Mexico*, nec non in Orientalis Indiæ regionibus *Decan* et *Guzurate*, immo, parcius tamen, in *Palæſtina* ac *Syria*, præſertim circa celebre emporium Halepum, gignitur. In tractibus dictarum regionum, in quibus uberior ejus proventus eſt, equorum alimoniæ inſervit, et hominibus quoque, oryzæ inſtar elixum, et butyro conditum, cibum ſapidum, nec minus, ſub pulveris aut decocti forma adſumtum, frequens medicamentum antifebrile præbet. Guzuratæ et Decan incolæ iſto in febribus, teſte GARCIA *l. c.*, hoc modo utuntur: „Febricitans cibo „(*valentiori*) abſtinet per decem, nonnunquam per „quindecim, dies: poſt quos huius fructus decoctum „illi propinatur, in quo nonnihil pulpæ remanſerit: „deinde cortice delibratum Mungo, et inſtar ory„zæ coctum, febricitanti exhibent, panem vero triti„ceum, non niſi poſt multos dies."

§. V.

Expoſitis proprietatibus radicis noſtræ, ope ſenſuum detegendis, et totius pariter plantæ deſcriptione abſoluta, tractationem meam mox ad enarranda experimenta chemica, quæ cum radice ſuſcepi, transferam, ut inde natura etiam atque principia ejus conſtitutiva, præſertim activa, magis pateant,

et

et via proinde ad faciliorem evolutionem ſolidioremque cognitionem virium ſternatur. Exorſus ſum examen meum cum extractionibus, ac primum unciam unam radicis, in fruſtula minuta diſſectæ, cum ſufficienti aquae ſimplicis quantitate, in arena calida, digeſtioni per aliquot dies et noctes commiſi. Impetravi igitur infuſum pellucidum, colore flavo-rubro tinctum, quod magna amaritie pollebat, et ſingularem odorem ingratum ſpirabat. Nauſeoſus hic odor ſub evaporatione aliquandiu increſcebat, deinde vero, ad finem nempe decurrente exhalationis actu, magis rurſum magisque imminuebatur, ita ut in extracto penitus ſpiſſato ac refrigerato odoratus organum parum amplius afficeret. Extractum obſcure fuſcum ſeu brunneo-nigricans ac valde amarum erat, et pondere ſuo drachmam ſaltim unam æquabat. Peracta extractione aquoſa prima, reſiduis radicis fruſtulis, prius tamen nonnihil ſiccatis, ſpiritum vini rectificatiſſimum adfudi, et vitrum, operculo probe munitum, tamdiu rurſus in arena calida collocavi, donec menſtruum ſuperſtitem ſubſtantiam ſolubilem penitus e radice in poros ſuos recepiſſe, crederem. Infuſum hoc poſt decantationem ac filtrationem quoad colorem et ſaporem præcedenti aquoſo haud diſſimile erat, nec multum quoque, durante evaporatio-

ne, nauſeoſo odore ab illo diſcrepabat; præterquam, quod iſte multo debilior, quam in priori, exiſteret. Memoratu cæteroquin dignum judico, liquorem antea pellucidum, tandem totum evaſiſſe turbidum, et colorem flavo-rubrum in ſordidum lutoſum mutatum fuiſſe. Maſſa, abſoluta inſpiſſatione relicta, colorem fuſcum ac valde etiam amarum ſaporem obtinebat, mole tamen pauca erat, ac tredecim tantum grana pendebat.

§. VI.

Ab infuſo aquoſo primo infuſum ſpirituoſum primum, ex una quoque uncia radicis minutim diſciſſæ paratum, quoad proprietates, externis ſenſibus obvias, aliquantulum recedere obſervavi. Tinctura nimirum, poſt ſufficientem digeſtionem in arena calida naſcens, colore aureo-rubro, ad fuſcum nonnihil vergente, gaudebat, et linguæ ſaporem ſubacrem atque amarum, naribus autem, etiam inter evaporandum, ſolius duntaxat ſpiritus vini odorem imprimebat. Poſt inſpiſſationem maſſam brunneo-nigricantem, ſaporis intenſe amari, et odoris debilis balſamico-nauſeoſi præbuit, quæ pondere ſuo ad ſcrupulos duos et grana duodecim adſcendebat. Quum radicem reſiduam deinde novæ rurſus digeſtioni

ſtioni cum aqua ſimplici ſubjicerem, infuſum obtinui pellucidum, a prædicto infuſo aquoſo primo intuitu quidem coloris flavo-rubelli parum diſtinctum, remiſſiori tamen amaritie et debiliori pariter odore nauſeoſo donatum. Haud diſſimilia etiam in extracto ſpiſſato, ſi colorem, qui brunneo-nigricans erat, exceperis, notata fuerunt. Quantitas ejus ſatis exigua erat, et gravitate ſua unius ſaltim ſcrupuli pondus attingebat; unde manifeſtum evadere opinor, phlegma, menſtruo ſpirituoſo adhuc inhærens, notabilem dudum ſubſtantiæ gummoſæ partem ſolviſſe, et præcedens ideo extractum ſpirituoſum nequaquam mere reſinoſum, ſed mixtum, h. e., gummeo-reſinoſum, æſtimandum eſſe. Valent hæc poſteriora de plerisque extractis, quæ cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, in Officinis venali, e corporibus, ſubſtantia gummea ſimul ac reſinoſa inſtructis, parantur: Immo haud raro fieri ſolet, ut mera aqua ſimplex ſimul pauxillum ſubſtantiæ reſinoſæ, et ſpiritus vini dephlegmatiſſimus partem aliquam ſubſtantiæ gummeæ e ſimplicibus, in quibus principia memorata intime atque tenerrime mixta ſunt, et arctius ideo connubium ſubeunt, educat; præſertim ſi paullo fortior ac diuturnior digeſtio accedat.

§. VII.

Viſurus porro, quænam differentia quantitati principiorum ſolubilium in cortice et parte interna lignoſiori intercederet, drachmas duas utriusque ſeorſim cum ſpiritu vini, temporariæ digeſtionis adminiculo, extraxi. Tinctura, quam cortex, tritura in pulverem converſus, largiebatur, colore flavo-rubro, ſapore acriuſculo-amaro, odore autem nullo, niſi ſolius ſpiritus vini, gaudebat, et poſt evaporationem grana quindecim extracti, juſtæ conſiſtentiæ, coloris brunneo-nigricantis, ſaporis valde amari, ac debilis odoris balſamico-nauſeoſi relinquebat. Cum infuſo hoc et extracto tinctura, ex ſola parte lignea interiori poſt ſufficientem digeſtionem genita, quoad proprietates externas congruebat, præterquam, quod color eius paullo dilutior ac ſaltim ſaturate aureus exiſteret. Nullum quoque diſcrimen apud extractum ſpiſſatum intuitu ſaporis et odoris deprehendi, pondere tamen iſtud priori aliquantulum inferius erat, et tredecim duntaxat grana pendebat. Infuſionem et extractionem reſidui cum aqua ſuſcipere ſtudio neglexi, dum ſatis pridem ex deſcripta extractione ſpirituoſa differens ac relativa ſubſtantiæ activæ quantitas pateſcere videtur.

§. VIII.

§. VIII.

Deſcriptis extractionibus, cum ſpiritu vini et aqua ſimplici adornatis, tandem radicis integræ, h. e., cortice ſuo adhuc obductæ, infuſionem cum vino adjungere, conſultum duxi, ut certius cognoſcerem, an menſtruum hoc, ex pluribus principiis, natura diſtinctis, compoſitum, mutationem, commemoratione dignam, infuſo et extracto inferret, et vires eorum ſub præcedentibus examinibus guſtu potiſſimum detectas, intenderet, vel etiam, uti haud raro, præſertim apud ſubjecta aromatica, fieri ſolet, debilitaret. Reçepi ordinarium vinum Gallicum flavum, et protractioris digeſtionis ope liquidum, colore ſaturate aurantio tinctum, et poſt filtrationem perfecte pellucidum, accepi, quod ſolum menſtruum redolebat, et ſapore, valde quidem amaro, acidulo tamen, a vino mutuato, nonnihil mixto, præditum erat. Ab infuſo hoc fuſcum extractum ſpiſſatum nec odore nec ſapore differebat, et mea igitur conjectura confirmata fuit, vinum ſolubilis ſubſtantiæ amaræ indolem haudquaquam alterare, adeoque nihil etiam virtuti ejus (quod poſterius uſus medici gratia noto) detrahere. Pondus extracti addere ſuperſedeo, quoniam particulis vini tartareo-acidulis ac reſinoſo-mucilagineis maritatum fuit, quæ molem augent, adeoque

impe-

impediunt, quominus gravitas extracti ſolius radicis determinari poſſit.

§. IX.

Deſtillatio radicis humida mihi, propter odoris defectum, quodammodo quidem ſupervacanea videbatur: Attamen, ne quicquam omitterem, quod principiorum cognitioni lucem aliquam adfundere poſſet, illam quoque cum duabus radicis diſſectae unciis, præmiſſa tamen brevi maceratione in aqua pura, adornavi. Aqua, quæ paullatim, igne blando adhibito, e cucurbita vitrea, arenæ balneo impoſita, in receptaculum exſtillavit, perfecte limpida erat, et odorem valde ingratum atque ſubfoetidum emittebat, quoad ſaporem autem ab aqua ſimplici non diſcrepabat, præterquam, quod aliquid pariter nauſeoſi admixtum eſſet.

§. X

Ex inſtitutis et hactenus recenſitis examinibus chemicis ſatis, ut opinor, diſcimus, radicem Mungos ſolis principiis activis fixis, iisque reſinoſo-gummeis, donatam eſſe, et licet infuſa quidem, præſertim aquoſum, ſub evaporatione, nec minus aqua, a radice recentius abſtracta, odorem quendam nau-

ſeoſum

ſeoſum emittant, inde tamen certam concluſionem ad partium volatilium in integra ac ſibi relicta radice præſentiam formari poſſe, nego, quoniam radix ſola, tam integra, quam minutim diſſecta, aut in pulverem trita, odore prorſum caret. Videntur igitur mihi volatilia illa corpuſcula, quæ ex aqua deſtillata et calido infuſo aquoſo adſurgunt, ac nauſeoſum naribus odorem imprimunt, tenerrima tantum ſubſtantiæ fixæ ramenta eſſe, a menſtrui particulis, caloris ope reſolutis, ſimul in altum abrepta; unde ſub virium quoque determinatione non adeo ſingularis eorum ratio habenda erit. Conjecturam meam plura alia infuſa aquoſa, e ſubjectis amaris parata, ſuffulciunt, quæ itidem ſub evaporatione, etiamſi ſimplicia integra odore penitus deſtituantur, odorem quendam, magis quoque minusve nauſeoſum, ſpirant. Subſtantia fixa gummea reſinoſam quantitate ſuperat, altera tamen ab altera, propter arctius conſortium intimioremque commixtionem, perfecte pura vix, aut ne vix, ſeparari poteſt, ſed, ſicuti ſupra pridem (§. 6.) dixi, multum ſubſtantiæ gummoſæ ſub prima extractione ſpirituoſa ſimul cum parte reſinoſa, adhibito videlicet vulgari ſpiritu vini rectificatisſimo, educitur, et ſub prima pariter extractione aquoſa, præſertim ſi digeſtio fortior exiſtat, aut paullo

 diu-

diutius protrahatur, pauxillum reſinoſi cum gummeo elemento in menſtruum tranſit. Quoad vires cæteroquin apud extractum utrumque parum vel nihil diſcriminis reperitur, ſed aquoſum æque, ac ſpirituoſum, valde amaro ſapore pollet, cui in infuſo ſpirituoſo ſubacris admixtus ſentitur, qui in extracto ſpiſſato rurſum perit, et pro meo igitur judicio, niſi unice, maximam tamen partem, a menſtruo ſpirituoſo, amaris corpuſculis ſociato, dependet.

§. XI.

Subſtratis hiſce, de evolvendis virtutibus medicis ſubjecti noſtri ſollicitus ero. Dividam illas in communes, quæ aliis quoque amaris competunt, et proprias ſive ſpecificas, ac primum ea, quae ſæpe allegatus KAEMPFERVS de eminenti ac plane ſingulari ejus virtute alexipharmaca memoriæ prodidit, ipſiſſimis Auctoris verbis adducam: „Indi, *ſcribit a)*, præ„ſertim, qui Sumatram et Iavam incolunt, radicem „pro explorato habent antidoto; ſive venenum ex„trinſecus vulneri illatum, ſive intrinſecus aſſum„tum fuerit. Maxima autem celebritas radiculæ ena„ta eſt ab eximia illa virtute, qvam adverſus toxicum „Macaſſarienſe præſtat, exitiale illud et vix alio re„medio

a) L. c. p. 575.

„medio vincibile. Eſt venenum hoc ſuccus lacteus „et pinguis, qui colligitur ex recens ſauciata arbore „quadam, indigenis *Ipù*, Malajis Javanisque *Upà* di-„cta, in abditis locis ſylvarum inſulæ *Celebes*, præſer-„tim in ejusdem provincia *Turaſia*, creſcente. Tri-„plex dicitur arboris varietas vel ſpecies, ſolius ſucci „malignitate majori vel minori, et areſcentis colore „(fuſco, rufo et albicante) differens; cujus genuinum „et in ſola Macaſſaria germinantis ſuccum, qui colli-„gere ſuſcipiunt, præſentiſſimis vitæ periculis ſe ex-„ponant neceſſe eſt. Nam ad quærendam arborem „loca dumis beluisque infeſta penetranda ſunt: in-„venta vero, niſi eminus vulneretur, et ab ea parte, „a qua ventus adſpirat, vel aura incumbit, aggreſſo-„res erumpente halitu ſubito ſuffocabit, Quam ſor-„tem etiam experiri dicuntur volucres, arborem re-„cens vulneratam transvolantes. Collectio exitioſi „liquoris, morti ob patrata maleficia damnatis, co-„mittitur, eo pacto, ut poena remittatur, ſi liquo-„rem reportaverint. Ex Scylla in Charybdim regre-„dientes, magna cautione et circumſpectione opus „hoc inſtituunt. Nimirum ſylvam ingrediuntur, lon-„ga inſtructi arundine, ex magno et robuſto illo ge-„nere, quo domicilia ſua extruunt, quam altera ex-„tremitate (eſt enim duriſſimum genus, cruris vel ſu-

 „ræ

„ræ humanæ craſſitie, cavum, internodiis ex pedali „vel longiori intervallo geniculatum) ex aſſe acuunt, „ut ad pertundendam arboris corticem valeat. E lon„ginquo conſpectam arborem adoriuntur, ex ea pla„ga, quam præmonuimus. Tum, quam longe „poſſunt, ab arbore conſtituti, arundinis aciem ar„bori valide intrudunt, et liquoris, ex vulnere efflu„entis, tantum excipiunt, quantum arundinis cavo „ad proximum usque internodium capi poteſt. Hoc „ſpolio onuſti, adverſo vento retrocedunt, et, mox „extra vulneris exhalationem in vado conſtituti, li„quorem vaſi vitreo, ſed caute pariter, infundunt et „obturant. Reduces, ſupplicio et omni diſcrimine „defuncti, hoc vitæ ſuæ λύτρον Regi offerunt. Ita „narrarunt mihi populares Celebani, hodie Macaſſari „dicti. Quis autem veri quicquam ex Aſiaticorum „ore referat, quod figmentis non implicetur? Cer„tum eſt, Regem Macaſſarorum, cæterosque ejus „coeli Principes lanceas ſuas et pugiones (quibus „ſolis armati ſunt) lethifero illo ſucco *b*) inficere, ſed

b) Ingens hujus ſucci virulentia adhuc clarius ex ſequenti IACOBI BONTII relatione innoteſcit: Si aliquis nempe armis, toxico hoc infectis, vel leviter ſaltim, ad ſimplicem ſanguinis miſſionem, vel in extrema calce vulneratus eſt, nutabundus ſtatim, tanquam ebrius,

„ſed qui ambiente aere, niſi arma probe obvoluta ſint, „mora temporis miteſcit, non æque facile, ſi telorum „rimulis (denſius aggeſtus) inhæreat. Telum illud „eſt exiguum ſpiculum, ex arundine ſciſſum, apice „ſubtiliſſima, in quam ſtria deſinit, toxico illita. „His telis non raro milites ejus terræ armati ſunt, „qui ea per tenues arundinaceos tubulos (qualibus „noſtrates pueri utuntur in paſſerculis petendis) flatu „oris explodunt in hoſtem, ut lethale ſpiculum cor„pori infigatur, tremendum nudis Indis, ſed quod „ab Europæo militum veſtitu illuditur." Contra illatum æque ac inferendum pernicioſiſſimum hoc venenum radix Mungos, vel rudi ſaltem frictione ſuper lapidem, vel protractiori tritura in pulverem ſubti-

 liorem

in terram mortuus concidit; ſed et carnes intra dimidiæ horæ ſpatium a ſeptico hoc veneno ita computreſcunt, ut tanquam mucus a ſubjectis oſſibus manu avelli queant, et, quod magis mirandum, ſi aliquis in femore vel altius læſus fuerit ſuperficialiter a telo alio, veneno non intincto, et ſanguis etiamnum calidus in ſubjectos pedes defluens tangatur ſimpliciter hiſce venenatis ſagittulis, ocyor Euro aura peſtilens vulnus verſus adſcendit, eademque celeritate et modo hominem e vivis rapit. Hæc non ſunt nugæ, *Auctor addit*, ſed oculata experientia, non ſolum a Noſtris, ſed et Danis et Anglis uſurpata. *Hiſt. nat. et med. Ind. Orient. Lib.* V. *cap.* 33.

liorem redacta, drachmæ unius aut dimidiæ pondere, in aqua ſimplici aut alio vehiculo adſumitur, et vulneri etiam ſub forma pultis, cum ſaliva aut aqua e pulvere memorato factæ, imponitur. Specifica opitulandi ratio adhuc nondum perfecte quidem cognita eſt, auxilium nihilominus, niſi virus telis recentiſſime illitum fuerit, ſemper certiſſimum eſſe, experti indigenæ teſtantur.

§. XII.

Similes plane ſpecificas atque potentes vires alexiterias radicem et folia Mungos contra venenum lethiferum Serpentis coronati, aliorumque colubrorum exerere, non tantum Cingalenſes et Indi reliqui uno ore fatentur, ſed GARCIAS quoque, HERMANNVS, GRIMMIVS, KAEMPFERVS, et plures alii oculati ac fide digni Scriptores teſtimoniis ſuis confirmant. Habitat memoratus ſerpens coronatus ſeu rectius *cucullatus*, *vittatus*, *pileatus*, Zeylanenſibus *Nagha*, *Naja* vel *Noya*, Luſitanis *Cobras de Cabelo*, vel *Cobra de Capello* dictus, in plurimis Indiæ orientalis regionibus fervidioribus, et in inſula Zeylana valde inprimis frequens eſſe dicitur. Ferox, hominibusque infenſiſſimum animal eſt, quod vulneri ſub morſu tam exitiale virus inſtillat, ut vulnerati confeſtim magno cordis

cordis angore nec non animi deliquiis corripiantur, et, neglecto maturo alexipharmaci uſu, convulſi moriantur, vel, ſerius adſumto antidoto, partis læſæ gangrænam, difficulter ſanabilem, raro effugiant; hinc nudipedes Indi nullum quoque ſerpentum genus, quam hoc, timere ac cavere ſolent. Obtinet vipera hæc, ſecundum allegati Auctoris poſtremi deſcriptionem *a*), trium vel quatuor pedum longitudinem, craſſitiem mediocrem, cutem ſquamatam et decore ſtriatam, tenſam, aſperam, coloris ex fuſco nigricantis, in abdomine albidi. Habet hoc laceſſita ſingulare, quod vtroque cervicis latere cutem inflare, et in orbem planum ſive compreſſum, ad inſtar alæ vel vittæ, extendere ſoleat. Vitta illa in dorſo exactiſſimam imaginem exhibet conſpicilli albido colore delineati, cujus orbiculi in expanſa utrinque vitta, et, quæ hos connectit, arcus in ipſo capite expreſſi ſunt, In duellum igitur ubi prorumpit, erecto corpore inſurgens, alas, iracundiæ indices, circa caput ſuperbe expandit, et apertis faucibus caninorum dentium monſtrans lethiferam aciem, in hoſtem, ni caute repulſa, mira celeritate involat.

§. XIII.

a) *In Amoenit. exot. p. 565.*

§. XIII.

Laudata virtus radicis noſtræ alexipharmaca etiam ad morſum animalium rabidorum, nec minus ad febres putridas malignas *a*), et genii deterioris exanthematicas, præſertim purpuratas *b*), extendi poteſt. Imminentem enim humorum corruptelam putredinoſam avertit, præſentem tollit, vel ulterius tamen incrementum ejus cohibet, partes ſolidas confortat, et languentis igitur naturæ vires erigit, ſudorem porro movet, et mucidas, acres, aliasque ſanguinis

a) „Ego, KAEMPFERVS *l. c. p.* 577. *inquit*, radicem „(cujus copiam ex Java aſportavi) in febribus pu„tridis morbisque malignis redux feliciter utor, et „multis ſucceſſibus infallibilem experior virtutem „adverſus canis rabidi morſum, in brutis æque ac ho„minibus.“

b) Eminentem virtutem ejus in febribus purpuratis malignis ſupra allegatus MICH. FRIDERICVS LOCHNER, repetita experientia convictus, in *Commentatione de animalculo et radice Mungos* valde deprædicavit. Exhibuit eam nunc ſolam in pulvere ad drachmam dimidiam aut ſcrupulos duos cum aqua quadam adpropriata aut infuſo theeformi, nunc aliis alexipharmacis admixtam; non ſemel tamen vel bis, ſed repetitis vicibus, donec, miaſmatis malignitatem fractam eſſe, ex ſymptomatibus cognoſceret. p. 28. ſeqv.

guinis ac lymphæ quiſquilias, ſyſtaſi et mixtioni eorum naturali inimicas, per poros cutis et vias urinæ eliminat. Adjumentum hoc in morbis putridis malignis validius evadit, quando tinctura, inde cum ſpiritu vini parata, modicam ſpiritus nitri aut ſalis rite dulcificati quantitatem in conſortium recepit; immo, obſervatione edoctus, ſcio, mixturam memoratam apud torpidioris naturæ hæmorrhoidarios, qui, propter irrita ad fluxum cruentum molimina, multos ac varios adfectus ſpasmodico-dolorificos in ventre infimo et aliis corporis partibus patiebantur, rudiora recrementa ſcorbutico-purpurata ad habitum cutaneum expuliſſe, et ſymptomatum proinde alia ſublata, alia notabiliter mitigata fuiſſe. An hoc medicamentum cæteroquin in dicto morbo ſemper cum fructu in uſum trahi poſſit, nec ne, determinare hac vice nequeo, quoniam hactenus mihi experientiam meam in hac parte nondum ita amplificare licuit, ut de promiſcua aut limitata virtute poſtrema cum deſiderata certitudine loqui valeam; etiamſi certo certius ſit, quod radix hæc inter activa medicamenta attenuantia, abſtergentia, aperitiva, ſanguinemque purificantia locum eminentem obtineat, nec tantum in hac ægritudine opem rite utentibus polliceatur, ſed in viſcerum quoque obſtructionibus, adfectibus

E ſcabio-

ſcabioſis *c*), venereis, cachecticis, oedematoſis, hydropicis, arthritide inveterata, nephritide pituitoſo-ſabuloſa, ictero chronico, ſuppreſſione fluxus menſtrui, fluore albo, ſcorbuto recentiori pituitoſo et pluribus morbis diuturnis ac refractariis, ex viſcida, mucida et acri humorum impuritate potiſſimum oriundis, haud ſpernendum auxilium præſtet, vel tamen præſtare poſſit.

§. XIV.

Allegatæ vires attenuantes, abſtergentes, aperitivæ, antiputredinoſæ, diaphoreticæ, ſanguinem purificantes, et ſingulares imprimis ac plane eximiæ alexipharmacæ ſimplex hoc medicamentum jam ſatis quidem nobilitant, plures nihilominus virtutes, ſpecialiori conſideratione dignæ, virtus nimirum ſtomachalis, antifebrilis et anthelmintica illis jungendæ veniunt. Virtus ſtomachalis, quam aliquoties apud ægros ſatis inſignem deprehendi, partim attenuandi, partim roborandi facultate nititur; unde in aprico poſitum eſſe, opinor, radicem hanc in iis adpetitus et digeſtionis vitiis, aliisque ventriculi morbis, qui collectas cruditates frigidas pituitoſas aut mucido-acidas

c) Conf. GARCIAS *ab* ORTA *Lib. I, cap.* 44. it. BONTIUS in *Hiſt. nat. et med. ind.*

acidas, et magnam ſimul tunicarum atoniam, adeoque valde torpidum motum periſtalticum et gaſtrici liquoris inertiam cauſſas præcipuas agnoſcunt, potiſſimum conducere, ſecus ex adverſo de effectu judicandum ac plane ab uſu ejus abſtinendum eſſe, quando ventriculus impuritatibus amaris, fervidis, bilioſis aut rancidis ſcatet, et tunica nerveo-muſculoſa vehementi earum ſtimulo, ad ardoris ac morſicationis ideam revocando, ad contractiones ſpasmodicas ſollicitatur. Igni ſane oleum ſub tali rerum ſtatu amarorum exhibitione additur, quoniam remedia hujus cenſus fervorem et acredinem ſaburræ bilioſæ ac rancidæ magis intendunt, et, aucta ideo hoſtili vellicatione, periſtaltici quoque motus turbas augent, immo interdum apud ſubjecta valde ſicca, macilenta, cholerica, ſymbolum ſuum ad levioris inflammationis geneſin conferunt. Maxime igitur hoc monitum in ſic dicta cholera valet, quæ nulla prorſus acria et aromatica irritantia, nec ulla etiam calida balſamica et amara patitur, ſed uſu eorum ante perfectam peccantis materiæ ejectionem valde, et cum patientis nonnunquam pernicie, exaſperatur.

§. XV.

Ex virtute ſtomachali eminens virtus antifebrilis rurſum fluit. Intelligo hic febres intermitten-

tes vulgares ſeu ſtomachales, quarum cauſſa materialis præcipue in ventriculo et inteſtinis, unde poſtmodum, ſenſim reſoluta, ad humores circulantes tranſit, hoſpitatur, et plerumque copioſa, ac quoad maximam partem craſſa, mucida, pituitoſo-acida, aut bilioſo-pituitoſa eſt. Hanc amarum hoc pharmacum abſtergit, attenuat, mobilemque reddit, ut facilius deinde, dato emetico aut carthartico, per portam ſuperiorem aut inferiorem eliminari poſſit. Accedit abſtergenti huic et attenuanti virtuti valida roborandi facultas, qua priſtinum ventriculi robur, in febribus hiſce magis utplurimum minusve dejectum, ita reducitur, ut præcipuum hoc chymificationis organum munere ſuo debite rurſus perfungi ac novæ ſaburræ corruptæ geneſis poſt ciborum adſumtionem præcaveri poſſit. Certius adhuc, poſt impuritatum antea collectarum evacuationem, poſterius hoc auxilium exſpectandum eſt, quando radici huic medicamentum quoddam auſterum ea quantitate additur, ut mixtum inde, cortici Peruviano quoad ſaporem ac vires analogum, naſcatur. Specifica enim decantatiſſimi hujus corticis virtus antifebrilis pro mea ſententia fundamentum ſuum in arctiori tantum et determinata quadam principii fixi amari atque auſteri mixtione habet, et expertus teſtari poſſum, alia

etiam

etiam amara, auſteris æmula proportione nupta, et, præmiſſis præmittendis, doſi paullulum largiori exhibita, febres intermittentes feliciter ſuſtuliſſe. In febribus intermittentibus ſanguineo - lymphaticis, quæ ex epidemica invaſione ſua potiſſimum cognoſcuntur, et univerſali humorum circulantium, ſanguinis nempe ac lymphæ, muciditati et ſpiſſitudini, cui plerumque copioſæ pariter quisquiliæ ſcorbutico-purpuratæ, nec raro etiam obſtructiones viſcerum ac magna partium ſolidarum atonia ſociatæ inveniuntur, natales ſuos debent, cautius aliquantulum cum uſu hujus radicis et quorumvis amarorum mercandum erit, quoniam febres memoratæ typo ſuo plerumque febres continuas, per breviora aut longiora intervalla paullulum duntaxat remittentes, æmulantur, et propter æſtum igitur corporis præternaturalem, durante morbo nunquam propemodum perfecte ceſſantem, remedia calidiora non ſatis bene perferunt, ſed tutius temperatioribus reſolventibus et blandis diaphoreticis ac diureticis curantur.

§. XVI.

De virtute anthelmintica, quæ partim a ſapore amariſſimo, vermibus inteſtinorum valde adverſo, partim a viribus ejus antiputredinoſis, attenuantibus,

 abſter-

abſtergentibus ac roborantibus ſtomachalibus dependet, ſpecialiora hic adducere ſuperſedeo, ſed, ad finem properans, adhuc ea tantum, quæ ad doſin ac formam uſurpandi ſpectant, breviter exponam. In India orientali, ſicuti in antecedentibus pridem retuli, peculiari ſcopo alexipharmaco in ſubſtantia, prius tamen in pulverem ſubtiliorem aut groſſiorem trita, ad drachmas duas, cum vehiculo quodam aqueo exhibetur; aſt tanta doſis in aliis morbis non ſemper requiritur, ſed ſcrupuli duo, drachma dimidia, immo ſcrupulus unus plerumque una vice ſufficiunt, præſertim ſi adſumtio ejus ſæpius repetenda ſit. Pulveri interdum quoque infuſum vinoſum, decoctum aquoſum, tinctura ſpirituoſa et extractum, leni coctione cum aqua ac blanda poſtmodum inſpiſſatione parandum, commode ſubſtitui poterunt. Decoctum et infuſum pro diverſa concentratione ſua ad aliquot uncias, prius tamen majori utplurimum quantitate, quam poſterius, adſumuntur. Tincturæ doſis a guttis viginti ad quinquaginta, extracti autem a granis octo ad ſcrupulum unum adſcendit. Redigitur hoc poſterius cum pulvere quodam, ægritudini, cui opponitur, itidem adpropriato, ad formam pilularem, vel aliis etiam pilulis, e pluribus ingredientibus compoſitis, nec minus electuariis additur, vel, in liquore ter-

re terræ foliatæ tartari ſolutum, ſub tincturæ forma propinatur. Silentio denique minime prætermittendum duco, pulverem hujus radicis etiam mixtionem *Lapidis cordialis de Goa*, Luſitanis *Piedra Cordial* dicti, ingredi; quippe qui e nullo eximitur animali, ſed mere factitius eſt, ac Goæ a monachis e ſpeciebus variis cardiacis et alexipharmacis componitur. Uſus radicis externus non tam late quidem, quam internus, patet, et in India, quod ſupra pariter commemoravi, ſolummodo pulvis ejus, cum ſaliva ad pultis conſiſtentiam redactus, vulneribus, telo venenato inflictis, imponitur, poteſt tamen idem remedium, cum ſpe auxilii, partibus quoque, animalium rabidorum morſu recentiſſime læſis, adplicari, nec radix etiam diſſecta, et inter decocta travmatica et anthelmintica externa recepta, vel pulveriſata ac vulneribus inſperſa, vtilitate carebit.



THE-

Pag. 14. *lin.* 6. *inter* morſus *et* folia *adhuc verba*, radix et, *inſerenda ſunt.*

THESES MISCELLANEAE.

I. Mutata priſtina aeris et telluris qualitate, priſtina pariter ſalubritas aut inſalubritas locorum mutatur.

II. Suffimigia balſamica putridam aeris corruptelam valde quidem minuunt, penitus tamen eam tollere nequeunt.

III. Fortis ſapor ſalivæ vitriolatus, quem hypochondriaci, hæmorrhoidarii et ſcorbutici ſubinde in ore percipiunt, ad argumenta ſpectat, quæ ferri in ſanguine humano præſentiam probant.

IV. Flatus adcumulati, ac juſto diutius propter alvi adſtrictionem in inteſtinis retenti, non tantum inteſtinis irritando ac diſtendendo, ſed univerſo etiam corpori, ob paullatinam in vaſcula lymphæ et ſanguinis inhalationem, magna ac varia detrita inferunt.

V. Nephralgia, Spaſmus fixus Paracelſi et Lumbago rheumatica morbi quidem ſatis diſtincti ſunt, ob vicinitatem tamen partium, quas torquent, et propter

pter aliquam pariter doloris ſimilitudinem, perſæpe a medentibus confunduntur.

VI. Pulſus cordis et arteriarum celeritate ac robore ſuo uſum expellentium in febribus, præſertim exanthematicis, determinat.

VII. Morbi, ex craſſa ac copioſa pituita naſcentes, magis hyeme, morbi ex adverſo ex inſigni humorum acritudine oriundi, magis tempore calido æſtivo exacerbantur.

VIII. Pediluvia aquea, pro diverſo caloris gradu, congeſtiones verſus partes corporis ſuperiores, adeoque inde etiam pendentia pathemata morboſa modo augent, modo minuunt.

IX. Phlebotomia, apud ægros plethoricos tempeſtive adminiſtrata, vigorem contractionis in corde et arteriis reſtituit, et in febribus itaque, abſente malignitate, multum ad facilitandam exanthematum expulſionem confert.

PRAENOBILISSIMO
ATQVE
DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. D. P.
IOAN. GEORG. FRID. HIRSCH
BEROLIN. I. V. CAND.

Vt Tibi, Vir praenobiliſſime, quanta laetitia quantoque gaudio affectus ſim, demonſtrem, et quae hucuſque inter nos, quanquam interrupta, interceſſit amicitia et diei ſolennitas ſuadent. Muſis amicus nullum Te otium, nulla voluptas, nullus denique ſomnus ab eorum commercio vnquam abſtraxit, auocauit, retardauit. Coronant igitur nocturna Tua vigilia, litteris dicata, Viri illi ambo illuſtres, quorum doctrinam orbis cum plauſu miratur, deferendo Tibi Doctoris titulum, quem et ingenium Tuum et facundia diu iam meruere. Gratulor Tibi de tam inſignibus in Medicina profectibus, gratulor patri de filio, ſpem de ſe factam tam egregie exſuperante, gratulor denique morbo laborantibus de tam inſigni morborum propellatore.

Viue, flore, felix mei non immemor eſto!

CHAR-

SCHARLES FROMHOLD SCHEVNEVOGEL

ETVDIANT EN MEDECINE

SE RECOMMANDE

A

MONSIEVR LE CANDIDAT

TRES HABILE ET SON TRES

CHER AMI

La vertu, l'habilité et l'art de plaire ce ſont trois choſes, qui rendent l'homme digne de la veritable amitie quant a la vertu, qui eſt ce qui ne ſache pas, que la votre eſt a l'epreuve? Votre ſavoir dans la medecine vous fait admirer de tous, ceux, qui ſ'y entendent, et la ſocieté, humaine a lieu d'eſperer qu'un jour vous en ſerez un grand ſoutien. Votre, air noble, vos maniéres belles et honêtes charment tellement tous ceux, qui ont l'honneur de Vous, approcher, qu'il n'ya aucun, qui ne deſire ardemment d'etre au nombre de vos amis. C'eſt pourquoi je me tiens tres hereux d'etre aſſuré et d'avoir tant de preuves authentiques d'une amitié, que tout le monde recherche ſi avidement, quoique j'en diſe, je ne ſaurois me couer aſſez de Votre, bon Coeur, et de Vatre ſincerité. Je Vous ſupplie ſeulement mon

tres

tres cher et intime Ami, de me continuer l' honneur de Votre amitié, et d' aimer toujours reciproquement celui qui vous ſera a jamais devoué. Vivez heureux, vivez content, ſoiez comblé d' honneurs, et ſouvenez vous toujours de moi, votre ami ſincêre et Cordial.